

S. FABIANUS PAPA

NOTITIA

(Mansi, *Concil.* I, 769, ex Libro pontificali Damasi papæ. — Vide *Patrologiæ Latinæ* tom. CXXVII, col. 1341.)

Fabianus (1) natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos 14, mensem unum, diès 11 (2), martyrio coronatur (3) xiv Kalend. Februarias. Fuit autem temporibus Maximini et Africani, usque ad Decium secundo et Gratum. Hic regiones divisit diaconibus (4), et fecit septem subdiaconos, qui (5) septem notariis imminerent, ut gesta martyrum in integrum colligerent; et multas fabricas per cœmeteria (6) fieri præcepit. Post passionem vero ejus, Moses et Maximus presbyteri (7), et Nicostratus diaconus, comprehensi sunt et in carcerem missi. Eodem tempore (8) supervenit Novatus ex Africa, et separavit

(1) *Fabianus.* Anno Christi 258, Maximini secundo, post interregnum tredecim dierum, xvi Januarii, Fabianus iudicio Spiritus sancti in specie columbæ super caput ejus descendens eligitur, et in pontificia sede, uno animorum omnium consensu collocatur, et ex ea difficillimis temporibus Ecclesiam universam gubernat. Euseb. lib. vi, cap. 22. Post Maximinum utrumque a militibus occisum, pacato Ecclesiæ statu, Privatum hæreticum, a concilio Africano 90 episcoporum condemnatum, ipse et Donatus Carthaginensis episcopus ecclesiastica communione privarunt. Baronius anno 241, num. 2. Philippum imperatorem a Pontio martyre Christi fide imbutum, ut ex Martyrologio et Actis illius constat, ecclesiam in profesto Paschæ ingredi, ejusque preces participare volentem, non prius admisit, quam peccatorum suorum confessionem et exhomologesim prius edidisset, proque iis debitam poenitentiam persolvisset. Euseb. lib. vi, cap. 27; Baron. anno 246, num. 5 et sequentibus. Item anno 249, num. 2 et seqq. Hujus pontificatu Hellesaitarum, Valesiorum, aliorumque hæreticorum immortalitatem animæ negantium hæreses exortæ, prope sui initio pontificis gladio, conciliorum aliorumque doctorum viros eam fortiter impugnantium impetu jugulatæ sunt. Baronius anno 249, num. 6, 7, etc. Donato Carthaginensi episcopo defuncto, Cyprianus rhetor eloquentissimus a Cæcilio ad fidem conversus, ab ethnicis per contemptum deinceps Coprianus, id est Stercorarius, nominatus, summo cleri ac totius populi consensu, uno Felicissimo presbytero infeliciter adversante, ejusdem sedis episcopus eligitur, consulibus duobus Philippis, qui est Christi nati 250, Fabiani 12, Philippi imperatoris 5. SEV. BIN.

(2) *Sedit annos 14, menses 11, diès 11.* Qui xvi Januarii anno 258 pontificatum auspicatus, xx Januarii anno 253, cum Decius secundum consulum ageret, et initium imperii auspicatus esset, martyrio coronatus est, annis 15 et 4 diebus sedisse oportuit. Baron. ann. 255, num. 5 et 6.

(3) *Martyrio coronatur.* Initio omnium atrocissimæ persecutionis illius, quam Decius imperator, ex eo quod sub Philippis longe lateque divina prædicatio pervagata, ingentem numerum ubique ad fidem Christi aggregasset, et gentilis superstitione in dies magis languesceret, ira et invidia incitatus indixit, quamque Deus, teste Cypriano libro *De lapsis*, ob Christianam disciplinam corruptam, permisit. Baronius prædicto loco.

(4) *Hic regiones divisit diaconibus.* Sicut Evaristus, ut supra diximus in notis ad vitam Evaristi, diaconis id muneris injunxit, ut etiam episcopo Evangelium prædicanti assisterent, ita et Fabianus hic addidit, ut iidem quatuordecim urbis regionibus præessent, singulis binas assignans, ut pauperum in eis degentium curam gererent. Ideoque ex officio *diaconi regionarii* appellati sunt, qui in concilio Romano II sub Silvestro, cap. 6, *diaconi cardinales* etiam nominati reperiuntur; ideo quod, licet diversis in locis agerent, unius tamen ecclesiæ, ejusdemque primariæ *cardine* continerentur. Vide quæ ibi dicemus, item Baron. anno 112, num. 8 et 9.

(5) *Fecit septem subdiaconos, qui.* Ut major sit auctoritas Actorum a notariis conscriptorum, subdiaconos eidem muneri præfecit. Vide notas ad vitam Clementis et Anteri, ibique Baronium.

(6) *Multas fabricas per cœmeteria.* Cum a tertio anno Fabiani usque ad ultimum exclusive pontificatus sui annum Gordianus et Philippus imperassent, sub quibus omni ex parte persecutione cessante Dei Ecclesia tranquille agebat, Fabianus pontifex non modo Christianam religionem propagare, sed etiam propagatam ædificiis supra sepulcra martyrum in cœmeteriis et cryptis erectis pro viribus illustrare studuit, quæ deinceps frequenter orandi causa a fidelibus, ut supra dixi, frequentata sunt. At non Fabianus tantum hoc tempore pacis, Romæ ecclesias extruxit; verum etiam Gregorius Thaumaturgus episcopus Neocæsareæ in Ponto, de quo Gregorius Nyssenus scribit, quod cum immensum civium numerum convertisset ad fidem, populo pecuniam et operam conferente, nobilissimam extruxit ecclesiam, altaribus pulcherrime ornatam, quam Deus, quod a tali viro ædificata ac divino cultui consecrata esset, a maximi terræ motus impetu, quo urbs ipsa funditus eversa fuit, et quod miraculosum, a Diocletiani omnes omnino ecclesias et sacra altaria demolientis furore ac savitia, usque ad Gregorii Nysseni tempora illasam conservavit. Baron. anno Christi 245, num. 2.

(7) *Moses et Maximus presbyteri.* Romanæ Ecclesiæ presbyteros ac confessores, eosque ultra annum in carcere detentos, misere afflictos fuisse, litteræ Cypriani ad hosce confessores, et confessorum ad Cyprianum, testantur. Vide epistolas Cypriani 16, 23, 26, 31.

(8) *Eodem tempore.* Nempe quo prædicti confes-

Novatianum de Ecclesia, et quosdam confessores, postquam Moses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses 11 (9). Et sic multi Christiani fugerunt (10). Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros viginti duos, diaconos septem, episcopos per diversa loca undecim. Qui sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia, XIII Kalendas Februarii. Et cessavit episcopatus dies sex (11).

NOTITIA ALTERA

(D. CONSTANT, *Epistolæ Rom. pontif.*, tom. I et unic., p. 118.)

1. Cum fratres omnes in ecclesia essent congregati, ut eum qui Antero successurus erat ordina- A rent, subito illapsu columbæ, quæ Fabiani vertici insedit, permotus populus Fabianum episcopatu dignum esse conclamavit, statimque comprehensum sacerdotali cathedræ imposuit. Ordinationem ejus Eusebius in *Chronico* post Maximini mortem recenset; sed ibi non est accuratus. Nam et ipso anno, qui Maximini necem excepit, Anteri ordinationem et obitum, Fabianique electionem consignat, licet hæc tria Maximino superstite contigerint, atque alio anno Anterus ordinatus, et alio vita functus fuerit.

2. In Bucheriano aliisque antiquis catalogis hæc legimus: *Fabianus annos 14, mensem 1, dies 10. Fuit temporibus Maximini et Gordiani et Philippi, a consulatu Maximini et Africani usque Decio II* B *(leg. Decio I) et Grato* (hoc est ab anno Christi 236 ad 250). *Passus est XII* (apud Boll. XIII; in Fossat. ms. XIV) *Kalendas Februarii*. Ex hoc calculo si auferatur mensis unus, et præferatur lectio codicis in quo Fabianus XIII *Kal. Febr.* passus adnotatur, sequetur ut is papa anno 236, Januarii decimo die, qui in Dominicam incidebat, ordinatus, anno 250, Januarii 20 die martyrii coronam adeptus sit: quo quidem die in omnibus antiquis monumentis, nominatimque in libro *Sacramentorum* S. Gregorii festum ejus ascribitur.

¹ Apud Pamelium, epist. 4.

sores in carcere detinebantur, et quo in locum Fa- biani jam ultra annum martyrio affecti, post an- num interregnum pontificium, Cornelius susceptus erat. Nam qui hæc verba ad tempus Fabiani adhuc viventis referunt, graviter errant; cum non tantum Liber pontificalis hic in Vita Fabiani, et infra in Vita Cornelii, verum ipse quoque Cypr. epistol. 49, 52 et 76, aperte scribant Novatianum non ante a Novato seductum fuisse, nisi post schisma adversus Cornelium conflatum. Unde quid de epistola Fabiani prima, qua Novatianus a Novato ejus tempore seductus esse scribitur, sentiendum sit, in notis ad primam epist. dicemus infra. Baron. anno 238, num. 9 et seqq.

(9) *Postquam Moses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses 11*. Cum sede adhuc vacante ad Mo- sen, Maximum et Nicostratum, postquam in carcere ultra annum detenti fuissent, sanctus Cyprianus epistolam scripserit, quæ est 16 editionis Pamel., fuerintque tunc adhuc pace et unitate concordés (quorum Maximus et Nicostratus post creatum D Cornelium, ab eodem, ut ex Eusebio constat, in schismate divisi sunt), certissimum est non sex diebus, ut infra auctor Pontificalis scribit, neque

3. De beato Fabiani exitu Cyprianus cleri Ro- mani litteris certior factus, mox rescribens ¹ hujus sancti pontificis elogium his paucis complexus est: *Cum de excessu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres charissimi, et opinio au- bia nutaret, accepi a vobis litteras ad me missas per Clementium hypodiamonum, quibus plenissime de glorioso ejus exitu instruerer. Et exsultavi satis, quod pro integritate administrationis ejus, consum- mutio quoque honesta processerit. In quo vobis quo- que plurimum gratulor, quod ejus memoriam tam celebri et illustri testimonio prosequamini, ut per vos innotesceret nobis, quod et vobis esset circa præ- positi memoriam gloriosum, et nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. Nam quantum pericu- losa res est ad sequendum lapsum ruina præpositi, in tantum utile est et salutare, cum se episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum. Ea fuit beatorum illorum temporum fides, ut cum boni et utilis pastoris jactura luctum et lacrymas ab ipsius grege exprimere, et ab amico consolatorias litteras exigere debere videretur, et Romani et amicus eorum Cyprianus animos in mutuam gra- tulationem effunderent; certi nimirum nihil Eccle- siæ ereptum, cui præclarum præstitum sit fidei ac virtutis exemplum.*

etiam sex mensibus tantum, quod alii asserunt, sed ultra integrum annum hoc tempore sedem pontificiam vacasse. Baron. anno 253, num. 28. Quem auctor hic in carcere defunctum esse insi- nuat, ex epist. Cornel. ad Fabium Antiochen. quam infra ex Eusebio huc inferemus, constat glorioso martyrio publice in omnium conspectu coronam martyrii adeptum esse. Ita Baron. anno 253, num. 39.

(10) *Et sic multi Christiani fugerunt*. Indictio persecutionis atrocissimæ adeo Ecclesiam univer- sam concussit, ut complures, licet fortissimi, se subduxerint, et quidem inter alios sanctissimus Cyprianus, divino prope Spiritu impulsus, Dionysius Alexandrinus, ac Paulus eremita: qui deinceps in spelunca, quam tunc temporis nactus est, solitariam vitam agens, exemplum vitæ monasticæ præ- bens, permansit ad annum ætatis 113, qui est Con- stantii imperatoris 7 inchoatus. Baronius anno 253.

(11) *Cessavit episcopatus dies 6*. Ultra annum sedem pontificiam vacasse, constat ex iis quæ supra dixi, verbis *Postquam Moses*; qua de re plura dicemus infra.

De epistolis et constitutionibus ad Fabianum attentibus.

1. Origenes, Eusebio teste ², ad Fabianum apologeticam scripsit epistolam, qua se orthodoxum probare nitebatur. Hanc notans Hieronymus ³: *Ipse Origenes, inquit, in epistola quam scribit ad Fabianum Romanæ urbis episcopum, pœnitentiam agit, cur talia (ob quæ in ejus damnationem Roma sub Pontiano consenserat) scripserit, et causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit.*

2. Cyprianus epist. 55 ad Cornelium docet, Privatum Lambesitanum episcopum in ipsa Lambesitana colonia, ob multa et gravia delicta, nonaginta episcoporum sententia damnatum, *Fabiani et Donati litteris severissime notatum fuisse.* Quod ita intelligi potest, ut Fabianus Lambesitani concilii litteris tum de Privati delictis et hæresi, tum de sententia in eum lata certior factus, ad Privatum ipsum scripserit, eumque severissime corripuerit; vel, quod probabilius videtur, ad synodum quæ ad se scripserat rescribens, gravissimam huic hæretico notam inusserit. Neque tamen quievit versipellis homo; sed post Fabiani, ut colligere est ⁴, mortem, spe inductus decipiendi cleri ejus, quemdam e nequitiae suæ cohorte vexillarium Romam misit, qui furto et fraudulenter litteras pacis elicere curaret. Simul et Cyprianus eidem clero cavens, rem sollicitam ipsi nuntiavit, hoc est vel de qua sollicitus erat clerus Romanus, vel potius, mea quidem sententia, de qua sollicitus erat ipse Cyprianus, ne videlicet Privatus Romanis imponeret. Verum vigilantissimo clero imponere non valuit emissus a Privato perfidiæ consors callidus. Nam et antequam Cypriani in Urbem litteræ pervenirent, nec quis esset latuit, nec litteras quas volebat accepit.

3. Verba ista Bucheriani Catalogi de Fabiano: *Hic regiones divisit diaconibus, et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit, in Fossatensi et altero reginæ Suecorum sic interpolata legimus: Hic regiones divisit diaconibus, et fecit septem (apud Boll. sex) subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gesta martyrum fideliter colligerent; ac deinde omititur, et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit.* Tempus pacis, qua Ecclesia Philippo imperante fruebatur, locum Fabiano dedit, ut in cœmeteriis, in quibus conventus celebrare ac sacra facere solebant fideles, fabricas fieri vel augeri præciperet. Idem quoque tempus, ut quemdam regendæ Urbis commodiorem ordinem institueret, ei permisit. Quocirca cum Bucheriani catalogi in Liberio desinentis antiquitas, tum ipsa temporis ratio id nobis facile persuadent, quod in eo catalogo de regionibus singulorum diaconorum curæ commissis ac multis fabricis Fabiani jussu constructis scribitur.

4. Sed quia par non est antiquitas eorum libro-

rum, in quibus Fabianus et septem subdiaconos, qui totidem notariis ad conscribenda martyrum gesta imminerent, constituisse legitur, neque etiam par videtur additamenti hujus auctoritas. Præterea ex eo, quod Gregorius, ab Eulogio Alexandrino episcopo rogatus ut quæ Eusebius collegerat martyrum gesta ad se transmitteret, lib. viii, epist. 29, respondet: *Nulla in archivo hujus nostræ Ecclesiæ vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta; de veritate gestorum, quæ ut Romæ conscripta circumferuntur, nonnulli dubitant.* Verbis tamen Gregorii pressius insistendum non est. Eo enim antiquior et rerum historicarum peritior Gelasius epist. 33, n. 6, agnoscit ac recipit *gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus et mirabilibus confessionum triumphis irradiant.* Verum ubi addit idem papa: *Ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur,* prædicti additamenti fidem multum imminuit. Nihil quippe ad gestorum illorum ἀθροῦσιν defuisse videretur, si Romani pontificis auctoritate a septem notariis, quibus præpositi fuissent totidem subdiaconi, conscripta essent. Ut ut est, Eusebius lib. vi *Hist.*, c. 43, fidem facit, sub Fabiani successore Cornelio in Romana Ecclesia septem diaconos totidemque subdiaconos exstitisse: ac probabile est Fabianum eo ipso tempore, quo singulis diaconis officia partitus est, sua etiam subdiaconis, quævis illa sint, assignasse. Tunc vero Roma in quatuordecim regiones dividebatur; ex quo sequitur, ut singulis diaconis duæ attributæ fuerint, quo facilius pauperes quoque dignoscere, eisque subvenire possent.

De aliis epistolis ac decretis Fabiano ascriptis.

1. Isidorus Mercator tribus epistolis Fabiani nomine collectis, ideoque alium in tomum rejiciendis, collectionem suam auxit. Ex una illarum ea fluxit opinio, qua Fabianus, ut chrisma per singulos annos, vetere incenso, in Cœna Domini conficeretur, constituisse creditur. Quocirca levi sane ac sublesta auctoritate nititur hujusmodi opinio. Illam autem expendendi aptior dabitur occasio, ubi ea, in qua istud asserit Isidorus, epistola edetur.

2. Præterea eidem papæ in editionibus Conciliorum decem attribuuntur decreta e Gratiano et altera compilatione collecta, sed neque majori fide digna. Et horum quidem primum sic enuntiatur: *Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciente eo qui contristavit, acerrimis maceretur inediis, usquedum gratanti animo satisfactionem recipiat.* Neque id a Gratiano tantum dist. 90, c. 10, sed et ab Ivone par. 13, c. 60, et Burchardo lib. x, c. 59, eodem nomine laudatur. Verum priora ejus verba expressa sunt ex Basilii *Regula*, in cujus capite 74 ista ex interpretatione Rufini præmittitur

² Euseb. lib. vi, c. 26. ³ Hier. epist. 65 ad

Pammach. et Ocean., c. 4. ⁴ Cypr. in fine ep. 30.

quæstio : *Quid si satisfaciente eo qui contristavit, A noluerit reconciliari is qui contristatus est?* Ex alia autem Regula, vel ad imitationem Regulæ alicujus, architectus decreti hujus propositæ quæstioni responsionem de suo subjecit. In Pachomii Regula, cap. 18, legimus : *Si quis iracundus vel tristitiam vel invidiam tenet contra proximum suum, ut tempus tenuerit, ita erit pœnitentia ejus, in pane et aqua.* Cui Regulæ affine est decretum, quod Ivo par. 15, c. 16, rursum velut ex Fabiano nostro citat : *Si quis non vult reconciliari fratri suo quem odio habet, tandiu in pane et aqua pœniteat, usquedum reconcilietur ei.*

3. Alterum, secundum Gratianum vi, quæst. 11, c. 18, et Ivonem par. 12, c. 65, in hunc modum profertur : *Quicumque sciens se pejeraverit quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat; et nunquam sit sine pœnitentia, et nunquam in testimonium recipiatur; communionem tamen posthac recipiat.* Cui non absimile est illud, quod Gratianus xxii, quæst. 5, c. 4, Gelasio, Ivo autem p. 12, c. 66, ut et Anselmus, Polycarpus ac Burchardus Pelagio attribuunt : *Si quis se perjuraverit, et alios sciens in perjurium duxerit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia. Et alii si conscii fuerunt, similiter pœniteant.* Porro hæc duo decreta ex eodem fonte fluere non levis suspicio est. Quem vero fontem illum opinemur, nisi Theodori Cantuariensis Pœnitentiale, ex quo et apud Burchardum lib. xii, c. 11, et apud Ivonem p. 12, c. 68, id conceptis verbis laudatum legimus : *Si quis suspicatur quod ad perjurium ducatur, et tamen ex consensu jurat, quadraginta dies pœniteat, et nunquam sit sine gravi pœnitentia?* Imo et id, quod supra Fabiani nomine refertur, apud Reginonem lib. ii, c. 524, ut ex Pœnitentiali, et apud Jac. Petitem tom. I, pag. 72, ut ex Theodori Pœnitentiali sic decurtatum legitur : *Quicumque sciens perjuraverit, septem annos pœniteat, et posthac communionem accipiat.* Ei autem parti, qua perjurus nunquam in testimonium recipiendus præcipitur, consentiant Matisconense i concilium, can. 17, et capitulare Caroli Magni cap. 59 apud Baluz. pag. 518, quo cavetur : *Qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hæc.* Vide et vulgatum Rabani Mauri librum iii *De pœnitentium satisfactione*, c. 59, et Halitgarii librum iv, c. 28.

4. Illud : *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur*, quod Gratianus xxxii, quæst. 7, c. 26; et Ivo par. 8, c. 168, ut Fabiani decretum laudant, a Reginone lib. ii, c. 129, rectius citatur ut ex lege Romana. Est enim Julii Pauli lib. ii, tit. 19, sententia postremis verbis mutatis. Pro his quippe Paulus dixit, *sed contractum matrimonium furore* (postmodum accedente) *non tollitur*; quod minus ambiguum. Vide Digest. lib. xxiii, tit. 2, leg. 10, et Ivonem par. 15, c. 87 et 88, necnon Reginonem lib. ii, c. 150.

5. Gratianus xxxv, quæst. 2 et 3, c. 3, ut ex Fabiano exseribit illud : *De propinquis, qui ad affinitatem per virum et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione jungantur; in quarta, si inventi fuerint, non separentur. In tertia tamen propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum ejus. Aequaliter vir jungatur in matrimonio eis quæ sibi consanguineæ sunt, et uxoris suæ consanguineis post mortem suæ uxoris.* Verum novissimi Gratiani editores e Theodori Pœnitentiali excerptum docent. Illud reipsa in ea Pœnitentialis Theodori parte, quam Coislianus codex a 700 annis exaratus asservat, reperimus sub titulo *De quæstionibus conjugiorum*. Neque vero sibi constat Gratianus, quippe qui ibid. c. 13, una cum Ivone par. 9, cap. 43, et Burchardo lib. vii, c. 7, postremam decreti hujus partem Julio papæ ascribit. De hac autem matrimoniorum circa affines lege ann. 1216, in concilio generali Lateranensi, quod Decret. Gregorii IX, lib. iv, tit. 14, c. 8, refertur, derogatum fuit.

6. Superiori decreto Gratianus subjicit istud velut ad eundem Fabianum pertinens : *Qui propinquam sanguinis uxorem ducunt et separentur, non licebit eis, quandiu utrique vivunt, alias uxores sibi in conjugio sociare, nisi ignorantia excusentur.* Unde conjicere licet, ex eo ipso libro, ex quo superius, exscriptum fuisse, adeoque Theodoro Cantuariensi esse restituendum.

7. Gratianus xxxv, quæst. 6, c. 1; Ivo par. 9, c. 57, et Burchardus lib. vii, c. 21, ut ex Fabiani decretis, cap. 8, id proferunt : *Consanguineos extraneorum nullus accuset vel consanguinitatem in synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet, id est pater et mater, soror et frater, patruus, avunculus, ~~avunculus~~, matertera, et eorum procreatio. Si autem progenies ~~lota~~ defecerit, ab antiquioribus et veracioribus, quibus eadem propinquitas nota est, episcopus canonicè perquirat; et si inventa fuerit propinquitas, separentur.* Quod satis inconcinne expressum esse liquet ad imitationem legis 2, tit. 7, lib. ix Cod. Th. ex interpretatione Anniani, ubi cavetur : *In adulterio extraneam mulierem nullus accuset, sed propinqui ad quorum notam pertinet, hoc est frater germanus, frater patruelis, patruus et consobrinus.*

8. Quod Gratianus de consecr., dist. 2, c. 16; Ivo par. 2, c. 27, ac Burchardus lib. v, c. 17, Fabiani nomine ita efferunt : *Ut si non frequentius, vel ter laici homines communicent in anno, nisi forte quis majoribus criminibus impediatur, id est in Pascha et Pentecoste et Natali Domini : hoc ex canone 50 concilii Turonensis iii, anno 818 celebrati, ad verba id est, exscriptum fuit. Illud porro additamentum, id est in Pascha, Pentecoste et Natali Domini, expressum est ad imitationem concilii Agathensis, can. 18, ubi statuitur : *Sæculares vero, qui in Natali Domini, Pascha et Pentecoste non communicaverunt, Catholici non credantur.* Integrum*

vero ac totidem verbis, quot illud Gratianus, Ivo et Burchardus referunt, a Reginone lib. 1, c. 195, laudatur ut ex libro II Capitularium, ubi et exstat c. 45, sed sine additamento *id est*, etc., quomodo habetur in concilio Turonensi III.

9. *Si quis triginta ætatis suæ non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur*, etc., quod apud Burchardum lib. II, c. 10, et Ivonem p. 6, c. 30, Fabiani nomine insignitur, et cujus initium Gratianus dist. 78, c. 1, Bonifacio papæ ascribit, merus est canon 11 Neocæsariensis concilii ex interpretatione Martini Bracarenensis episcopi, cap. 20 descriptus.

10. *Decernimus ut in omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus fiat tam panis quam vini, ut per has immolationes a peccatorum suorum fascibus liberentur*, ex canone 4 concilii Matisconensis II, anno 585 celebrati, de-

scriptum est, uno verbo *liberentur* excepto, cujus loco *careant* concilium præfert. Perperam igitur in codice librorum 16, lib. V, c. 7, apud Burchardum lib. V, c. 24, et Ivonem p. 2, c. 34, Fabiano ascribitur. Quod quidem Ivonem non advertisse mirum est, cum subinde cap. 41 eorundem verborum summam perstringens, ea concilii Matisconensis agnoscat.

11. *Non est accipiendum sacrificium de manu sacerdotis, qui orationes vel actiones et reliquas observationes in missa secundum ritum implere non potest*, codex 16 librorum, lib. V, c. 9; Burchardus lib. V, c. 30, et Ivo p. 12, c. 44, Fabiano tribuunt, ætatem tamen redolet hoc papa recentiore. Et vero Theodori Cantuariensis esse fidem facit vetus codex Coislianus, in quo cum pluribus aliis *Pœnitentialis* ejusdem archiepiscopi capitulis exhibetur.

S. FABIANI PAPÆ EPISTOLÆ

EPISTOLA PRIMA (12).

AD UNIVERSOS ECCLESIAE CATHOLICÆ MINISTROS.

Qui non debeant admitti (13) ad excusationem, et non esse communicandum excommunicatis.

Dilectissimis ubique Catholicæ Ecclesiæ ministris, FABIANUS salutem in Domino.

Divinis præceptis (14) et apostolicis monemur institutis, ut pro cunctarum Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu. Unde consequens est, debere vos scire quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, ut ejus sequentes exempla, ejus veri filii inveniamini, quæ vestra est mater vocata.

¹ S. Leo ep. 4. ² sequentium.

(12) Tres illæ ep. suppositæ ac spuria viris doctis habentur, et merito.

(13) De errore Novati et Novatiani.

(14) *Divinis præceptis*, etc. Hæc epistola aliis spuria, nisi a quibusdam mendis et erroribus expurgetur; aliis non a Fabiano, sed potius a Cornelio scripta esse videtur: eo quod infra de Novato et Novatiano hæc referat: *Insuper et illud vos scire desideramus, quia nostris temporibus, præpedientibus quidem nostris peccatis, suadente antiquo hoste, qui semper ut leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I Petr. V, 8), *supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Christi Novatianum, et quosdam alios Christi confessores, et convertit in pravam doctrinam.* Quæ sane non ante Cornelii pontificis creationem contigisse, testimonio Libri pontificalis et Cypriani satis est manifestum. Adde quod Pacianus, epist. 3 ad Sympronianum, cum Novatiani meminit, de iis quæ ante sedem Cornelii gesserat, commendat ejus catholicam fidem; sic enim scribit: *Cur igitur Novatianus tuus, ne falso quidem adhuc episcopatu sacerdos, longe antequam Cornelius Romæ episcopus fieret, antequam sacerdotio illius invideret, hæc suavit? Habes Cypriani testimonium*, etc. Et post reliqua: *At hanc ipsam hæresim Novatiani quando ceperunt? Audite, quæso, et totum ordinem erroris vestri advertite. Cornelius jam Romæ episcopus a*

B Septem ergo diaconos (15) in urbe Roma per septem regiones civitatis, sicut a patribus accepimus, habemus, qui per singulas hebdomadas et Dominicis dies, atque festivitatum solemnias, cum subdiaconibus et acolythis, ac sequacium³ ordinum ministris, injuncta sibi observant ministeria, et parati omni hora sunt ad divinum officium, et quidquid eis injungitur, peragendum. Similiter et vobis, prout opportunum fuerit, per singulas civitates est faciendum, ut divinum absque ulla mora et negligentia studiose ac solemniter agatur officium. Denique septem similiter subdiaconos (16)

sexdecim episcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat, et illa qua fuit præditus castimonia virginali crebras persecutiones nati principis sustinebat. Tum forte quidam presbyter Novatus ex Africa, etc., Romam venit, etc. Itaque ob hanc causam liceret firma conjectura statuere, auctorem hujus epistolæ Cornelium potius quam Fabianum fuisse, nisi infra mentio fieret septem subdiaconorum, quos, ut ex Vita ejusdem apud Librum pontificalem constat, notariis Acta martyrum colligentibus et conscribentibus, Fabianus, non Cornelius, omnium sententia præfecit. Tutius igitur ac verius esse videtur, prædicta de Novato, et Novatiano ab aliquo sciolo superaddita fuisse, ideo, quod putarit hæc verba Libri pontificalis, eodem tempore supervenit Novatus, ad Fabiani sedis pontificiæ tempus referenda esse, cum revera ad eâ quæ auctor proxime dixerat, post passionem vero ejus, referri debeant. Barou. anno 258, num. 9 et seqq. Sev. Bin.

(15) *Septem ergo diaconos.* Vide quæ diximus supra in notis in Vitam Clementis, Evaristi, Anteri et Fabiani. Ib.

(16) *Denique septem similiter subdiaconos.* Hic colligitur hujus epistolæ auctorem esse Fabianum pontificem, et quod illi fidem derogat, surreptitium esse, adeoque expungendum, vel saltem adnotandum. Ib.

ordinavimus⁴, qui septem notariis imminerent, et gesta martyrum veraciter in integro colligerent, nobisque rimanda manifestarent. Quod etiam vos omnes agere monemus, ne in posterum aliqua ex his dubitatio fiat, quæstioque oriatur; quoniam omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt⁵. Et quæ nostris temporibus veraciter scribuntur, ad futurorum doctrinam diriguntur. Et ideo fidelissimis hæc negotia committi præcipimus, ne aliqua in eis illusio inveniat, ex qua fidelibus scandalum, quod absit, oriatur. Unde et charitatem vestram paterna dulcedine petimus⁶, ut in cunctis affectum vestræ charitatis sancta modo Ecclesia inveniat, et favoris vestri solatiis, quocunque necesse fuerit, potiatur. Et sicut bonitas studii vestri de se nobis certitudinem præbet, ut in nullo diffidere debeamus de ea, sed magis, ut sapientibus filiis Ecclesiæ nostræ, hæc fiducialiter commendemus; ita postpositis opportunitatis occasionibus, vestra efficacia elaborare enixius debet, atque modis quibus possibile fuerit⁷, omni studio abigere contumelias⁸. Hortamur etiam vos, juxta dictum Apostoli, *stabiles esse et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*⁹. Et alibi: *Vigilate et orate, et state in fide. Viriliter agite, et confortamini. Omnia vestra in charitate fiant*¹⁰. Insuper et illud vos scire desideramus (17), quia nostris temporibus¹⁰ præpedientibus quidem nostris peccatis, suadente antiquo hoste, qui semper *ut leo rugiens circuit*¹¹, *quærens quem devoret*, supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Christi^{11*} Novatianum et quosdam alios Christi confessores, et convertit in pravam doctrinam. A quibus vos, fratres, avertite, et cavete ab omnibus qui alteram fidem et doctrinam tenent, quam apostoli et successores eorum tenuerunt et docuerunt, ne, quod absit, post eum abeuntes, in laqueum Satanæ cadatis, et compedibus ejus detineamini.^{11**} Unde fraternitatis vestræ charitatem intimis obsecramus precibus, ut nostræ parvitas in vestris sacris orationibus memores esse dignemini, orantes ac deprecantes Dominum coeli, ut tam nos quam sancta mater Ecclesia Christi pretioso sanguine redempta, a laqueis venantis Satanæ, et ab importunis et malis hominibus liberetur, et sermo Dei currat et clarificetur, et prava eorum et omnium perversa docentium corruat doctrina atque deficiat. Precamur etiam, ut pietatis vestræ precibus impetrare studeatis, ut *Deus et Dominus noster Jesus Christus,*

qui vult omnes homines salvos fieri et neminem perire^{11***}, sua ingenti omnipotentia reverti faciat corda eorum ad sanam doctrinam et catholicam fidem¹², quatenus *resipiscant a diaboli laqueis*¹², quibus capti tenentur, et aggregentur filiis matris Ecclesiæ. Reminiscetes quoque fratrum vestrorum, miseremini illorum, quibus potestis bonis studiis vestris, ne perdantur, sed ut precibus et aliis bonitatis vestræ studiis Domino¹⁴ salventur. Ita ergo in his agite, ut obedientes filii et fideles sanctæ Dei Ecclesiæ appareatis, et ut mercedis præmia percipiatis. Hi, et omnes qui rectam non docent doctrinam, vel rectam non tenent fidem, accusatores neminem recte credentium accusare possunt, quia infamia sunt notati, et a sinu sanctæ matris Ecclesiæ, apostolico mucrone, usque ad rectam conversationem et reversionem eorum abscissi. Unde apostolica auctoritate, cum omnibus ejusdem apostolicæ atque universalis Ecclesiæ filiis statuente sancimus, ut omnes qui in catholica fide suspecti sunt in accusatione recte credentium non suscipiantur; quia suspiciones semper sunt amovendæ¹⁵. Merito ergo eorum reprobatur accusatio qui in recta fide suspecti sunt¹⁶. Nec eis omnino est credendum, qui Trinitatis fidem ignorant. Similiter omnes¹⁷, quos sanctorum Patrum statuta tam præteritis quam futuris temporibus anathematizant, submovemus et ab omni accusatione fidelium alienamus. Discreti ergo semper debent esse fideles ab infidelibus, et justi ab injustis; quoniam infideles et malevoli, modis quibus possunt, semper infestant fideles et perdere nituntur; et ideo non sunt suscipiendi, sed repellendi, et procul abjiciendi, ne perdere fideles aut infamare possint. Quapropter, charissimi, cavete talium foveam, in quam multos cecidisse cognovimus. Cavete talium jacula¹⁸, et antiqui hostis tentamenta, per quæ etiam proprios propinquos coram nobis vulneratos cadere vidimus. Attendite laqueos insidiantium, quibus notos et commilitones strangulare solent. Nolite tales sequi, sed procul repellite eos. *Estote, juxta Veritatis vocem, prudentes ut serpentes, et simplices ut columbæ*¹⁹. Videte, ne in vacuum quoque curratis, aut laboretis, sed alterutrorum fulti precibus et orationibus, voluntatem Dei facere contendite, et a memoratis, si incorrigibiles apparuerint, vos in omnibus separate. Similiter ab omnibus quos Apostolus commemorat dicens: *Cum eis nec cibum sumere*²⁰; quia et illi, sicut et isti, sunt repellendi²¹, et ante satisfactionem Ecclesiæ non sunt suscipiendi; quoniam illi,

⁴ Vide Pontificalem librum in Clemente et Antero. ⁵ Rom. xv, 4. ⁶ S. Greg. ep. 21, lib. vii. ⁷ S. Greg. ep. 95, lib. vii. ⁸ agere contendatis. ⁹ I Cor. xv, 58. ¹⁰ I Cor. xvi, 15, 14; Matth. xxvi, 41. ¹¹ Greg. lib. xii, ep. 52. ^{11*} I Petr. v, 8. ^{11**} Hoc sub Cornelio contigit defuncto jam Fabiano, ut pluribus Baronius ad an. 238, n. 9. ^{11***} S. Bonif. cii A. Mog. ep. 6, quam consule. ¹² I Tim. ii, 4. ¹³ II Petr. iii. ¹⁴ II Tim. ii, 26. ¹⁵ omnino. ¹⁶ Suspecti omnes semper sunt amovendi et non recipiendi: ita in Luc. ¹⁷ Adrian. coll. c. 4. ¹⁸ q. 4. ¹⁹ Omnes quos sanctorum. ²⁰ S. Bonif. ep. 19, pluribus modis interpolata. ²¹ Matth. x, 16; Phil. ii. ²² I Cor. v, 11. ²³ 6. q. 1: Omnes illi sunt ab-

(17) *Insuper et illud vos scire desideramus.* Hæc integra periodus surreptitia est, et ab aliquo scolo superaddita, qui existimavit ea quæ in Vita Fabiani de Novato et Novatiano scribuntur, temporibus

Fabiani accidisse, ideoque in hanc epistolam inferenda esse. Vide quæ diximus verbo, *Divitis præceptis.*

cum quibus cibum sumere non licet, manifeste apparent sequestrati usque ad satisfactionem a reliquis fratribus²². Quamobrem non debent nec possunt in accusationem fidelium suscipi, sed etiam ab eorum consortio, usque ad jam dictam satisfactionem repelli, ne similes eis efficiantur, aut eorum excommunicationi subjaceant; quoniam sic apostoli statuerunt²³ dicentes: Cum excommunicatis non est communicandum²⁴. Et si quis cum excommunicatis, avertendo regulas, scienter psallat in domo, aut simul locutus fuerit aut oraverit, ille communionem privetur²⁵. Tales ergo in omnibus sunt cavendi, et non suscipiendi, quia juxta Apostolum, *non solum qui faciunt damnantur, sed et qui consentiant facientibus*²⁶. Unde et beatus apostolorum princeps, Petrus, in ordinatione Clementis alloquens populum, inter cætera ait²⁷: Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis²⁸, vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat: Cum illo nolite amici esse; sed prudenter observare debetis, et voluntati ejus absque commonitione obsecundare, et avertere vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur, ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre, festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest, ut per hoc redeat ad salutem, cum obedire cœperit monitis præsentis. Si vero quis amicus non est, et locutus fuerit his quibus ipse non loquitur, unus est et ipse ex illis qui exterminare Dei Ecclesiam volunt: et cum corpore vobiscum esse videatur, mente et animo contra vos est. Et est multo nequior hostis hic quam illi qui foris sunt, et evidenter inimici sunt. Hic enim per amicitiarum speciem, quæ sunt inimica, gerit et Ecclesiam dispergit ac vastat. Ideoque, charissimi, his apostolicis institutis vos monentes instruimus, ut effecta²⁹ certior charitas vestra, sollicitius deinceps agere studeat et cautius, ne perversi et infideles homines, lædendi fideles et benevolos habeant facultatem: *quoniam spes tulium et omnium impiorum, tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis*³⁰. Summopere, charissimi, tales cavendi sunt, et avertendi atque rejiciendi, si nocentes apparuerint; quia non solum ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges se³¹ nocentes non suscipiunt, sed repellunt. Unde scriptum est: *Os impiorum devorat iniquitatem*³². Et Dominus per Prophetam loquitur, dicens: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso*

*A perverseris; et cum electo electus eris, et cum viri innocente innocens eris*³³. Et Apostolus inquit: *Pervertunt bonos mores colloquia mala*³⁴. Idcirco, ut jam prælibatum est, mali sunt semper cavendi, et bonis atque benevolis est inhærendum³⁵ ut periculum desidiæ, quantum possumus, declinemus. Et ne pestis hæc latius divulgetur³⁶, severitate qua possumus, abscindamus; quoniam non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est³⁷ diligentia pietatis. Agat semper³⁸ unusquisque vestrum, hac informatione apostolica sultus juxta vires suas, et fraterna dilectione, et sancta religione, mores proprios conservare, et in commune alterutrum adjuvare, et in charitate permanere, et in Dei voluntate indesinenter studeat inhærerere, ut simul laudantes Dominum, indefessas semper illi gratias agamus. Valete in Domino, charissimi, et prædicta, ut melius potestis, Domino opem ferente, adimplere studeate. Data Kalendis Julii, Maximino³⁹ et Africano viris clarissimis consulibus⁴⁰.

EPISTOLA II (18).

AD OMNES ORIENTALES EPISCOPOS.

Ut chrisma omni anno renovetur consecrando et vetus in ecclesiis ponatur cremando; de accusatione sacerdotum, et ut oves pastorem suum, nisi in fide erraverit, reprehendere non audeant.

- I. *Ut per annos singulos novum chrisma conficiatur, et vetus incendatur.*
- II. *De episcopis non accusandis ac obtreptionibus lacerandis.*

FABIANUS episcopus urbis Romæ, omnibus Orientalibus episcopis et cunctis fidelibus, in Domino salutem.

Exigit dilectio vestra sedis apostolicæ consulta, quæ vobis denegare non possumus nec debemus. Hoc autem et prædecessores nostros multarum regionum episcopis egisse liquet; et nos, qui in eadem sede, Domino largiente, collocati sumus, agere debere fraterna charitas et obedientiæ debitum compellit. Cura est ergo vestræ sollicitudini adhibenda, ut ea, quæ sunt ab apostolis eorumque successoribus ordinata, et instigante sancto Spiritu instituta⁴¹, nec dissimulatio negligere, nec aliqua præsumptio valeat perturbare. Sed sicut hoc, quod rationis exigebat utilitas, oportuit diffinire; ita quod diffinitum est, non debet violari.

I.

Litteris vestris vero inter cætera insertum invenimus⁴², quosdam regionis vestræ episcopos (19)

²² Fidelibus. ²³ 11. q. 3: Sicut apostoli statuerunt. ²⁴ can. 11. ²⁵ can. 11 apost. interp. Dionysio. ²⁶ Rom. 1, 32. ²⁷ dist. 63: Si inimicus. ²⁸ epist. 1 Clementi tributa ex versione Rufini *Patr. t. 1*. ²⁹ S. Leo ep. 2. ³⁰ Sap. v, 15. ³¹ abest, se, a ms. ³² Prov. xix, 28. ³³ Psal. xvii, 26. ³⁴ 1 Cor. xv, 35. ³⁵ S. Leo ep. 4. ³⁶ idem ep. 2. ³⁷ idem ep. 2. ³⁸ S. Bonif. ³⁹ Maximo. ⁴⁰ an. 236. ⁴¹ S. Greg. epist. 117, lib. vii. ⁴² de consecr. dist. 3: Litteris vestris.

(18) Apocrypham nonnullis veteri testantur B II., Poss. alique Catholici, et multa probant.

(19) *Episcopos*. Indicatur materiam sacramenti confirmationis esse chrismam, quod est unguentum ex oleo et balsamo mixtum, et ab episcopo conse-

cratum. Ex eo enim quod scribit, Christum ritum conficiendi apostolos docuisse, utique aliquam formam benedicendi et consecrandi tradidisse, dubium non est. Unde præterquam quod sanctissimi Patres, Clemens, Dionysius, Irenæus, Urbanus ponti-

a vestro nostroque ordine discrepare, et non per singulos annos in Cœna Domini chrisma conficere, sed duos aut tres annos confectionem sancti chrismatis semel actam conservare. Dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere, sed dum una confectio chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim qui talia excogitant^{43.44}, et mente vesana potius quam recta sentientes, hæc dicunt. In illa enim die Dominus (20) Jesus, postquam cœnavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes, sicut a sanctis apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit. Ipsa enim lavatio pedum, nostrum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur atque confirmatur. Nam sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda, et fidelibus tradenda; quia novum sacramentum est per singulos annos et jam dicto die innovandum, et vetus in sanctis ecclesiis cremandum. Ista a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia, et Antiochena a tempore apostolorum custodit; hæc Hierosolymorum et Ephesinorum tenet. In quibus apostoli præidentes, hæc docuerunt, et vetus chrisma incendi, et non amplius quam uno anno uti, permiserunt, atque deinceps novo frui, et non veteri, jubentes docuerunt. Si quis ergo his obviare tentaverit, omnem sibi per vos⁴⁵, et per omnes recte intelligentes⁴⁶, indulgentiæ aditum intelligat obseratum; quia pravissimarum mentium perversa doctrina, dum indulgentius frenis utitur⁴⁷, in prævaricationem præ-

sumptionis delabitur; et nullatenus eruitur, nisi prudentium sustentatione et correctione liberetur. Illa autem, quæ circa divina mysteria et erga⁴⁸ baptizandos, in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplanda sunt intuitu, ne locum supervacuis intentionibus et superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere, quia docendi potius sunt, quam illudendi⁴⁹. Ad nostram enim lætitiâ benefacta perveniunt, et mœroris aculeis nos, quæ fuerint male facta, pungunt⁵⁰. Hic⁵¹ vero inter manus latroam et dentes luporum furentium, utcumque versamur, et contumaces sunt subditi atque oves. Nam latratu canum⁵², baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est.⁵³ Illa vero quæ fomentis non sanantur vulnera, ferro abscindi necesse est. Nec silere⁵⁴ possumus, ut cum hic ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocamur instinctu, in speculis a Domino constituti, ut vigilantia nostræ diligentiam comprobantes, et quæ coercenda sunt resecemus⁵⁵, et quæ observanda sunt censeamus⁵⁶.

II.

Consulere etiam nos, ut in prædictis litteris vestris invenimus, super accusatione sacerdotum voluistis, quæ oppido apud vos, ut in eisdem apicibus reperimus, crebrescit. Significastis insuper⁵⁷, plerosque attendere, multos in ipsis honoribus ecclesiasticis non congruenter vivere sermonibus et sacramentis⁵⁸ quæ per eos populis ministrantur. O miseros homines, qui hos intuendo, Christam obliviscuntur: qui et multo ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt, non faciunt; et traditorem suum tolerans, usque in finem etiam ad evangelizandum cum cæteris misit. Nam apostoli

^{43.44} De consecr., dist. 3: Litteris vestris. ⁴⁵ nos. ⁴⁶ Siricius ep. 1, c. 7. ⁴⁷ Innoc. ep. 25 ad Milev. PP. ⁴⁸ Cæel. ad Gallos cap. 12. ⁴⁹ idem ep. 2, cap. 1. ⁵⁰ compungunt. ⁵¹ S. Aug. de pastoribus, cap. 7. ⁵² S. Hier. ep. 83. ⁵³ Siric. mox cit. ⁵⁴ Cæel. ep. 2, c. 1. ⁵⁵ servemus. ⁵⁶ sentiamus. ⁵⁷ 1. q. 1: Significastis insuper. ⁵⁸ S. August. lib. 1 hom., hom. ult., cap. 13.

sex epistola sua, etc., hoc alibi sanctum chrisma, alibi unguentum sanctificatum nominent, conciliis Florentino et Tridentino nunc aperte definitum est, quod universæ Ecclesiæ, ex institutione Christi, ab apostolis traditum erat. Bellarm., Suarez, Valent. de sacram. confirm. Hanc epistolam Possevinus in Apparatu sacro, verbo Fabianus, a quibusdam, nescio quibus, velut apocrypham rejici asserit. Qui confirmationem a Melchiade institutam esse aiunt, ex hac et præcedentis Urbani epistola satis refutantur. SEV. BIN.

(20) *In illa die Dominus.* Ut chrisma conficiatur et consecretur feria quinta in Cœna Dominica, ab apostolis institutum esse ait, ideoque ab ea consuetudine nequaquam recedendum esse decernit. Hunc ritum eodem tempore observatum fuisse indicat Cyprianus, vel quisquis auctor est ejus libri, serm. de unct. chrism., his verbis: *Hodie in Ecclesia (loquitur de die Cœnæ Domini) ad populum acquisitionis sanctificandum, in participatione dignitatis et nominis sacrum chrisma conficitur, in quo mistum oleo balsamum, regni sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis, divinitus est unctio instituta.* Eadem consuetudo colligitur ex Isi-

doro, Aleuino, Ruperto et aliis antiquis divinarum officiorum scriptoribus. Unde in concilio Meldensi, c. 46, expresse præcipitur, *ut nemo sacrum chrisma, nisi in quinta feria majoris hebdomadæ, conficere præsumat.* Et hanc ob causam in cap. Quoniam, de sent. excomm., in 6, dicitur, chrisma esse conficiendum in die Cœnæ Domini, etiamsi terra interdicta existat. Errant igitur qui putant fuisse aliquando usitatum in Ecclesia, ut quolibet anni tempore chrisma conficeretur. Quod dicitur cap. *Omni tempore de consecr., dist. 4, item conc. Tolet. 1, cap. 20, licere episcopo omni tempore chrisma conficere, intelligendum est non simpliciter de omni tempore: sed accommodate, de omni tempore annuali, quod ad conficiendum chrisma præscriptum est. Accedit quod concilia non aliquam temporis, sed potius certi ministri determinationem prælinire intendunt, quasi dicerent: Soli episcopo, non presbytero, liceat omni tempore consueto sacrum chrisma conficere. Nam concilium tolet. expresse intendit prohibere abusum quorundam presbyterorum, qui confectionem chrismatis sibi usurpabant. Vide Suarez tom III, disp. 38, sect. 1*

talem consuetudinem non habuerunt, nec habendam docuerunt; similiter et successores eorum, quamquam multa de talibus, prævidentes Spiritu Dei futura, statuerunt. Porro, ut legitis in Actibus apostolorum, *erat eo tempore inter fideles cor unum et anima una, neque aliquis eorum aliquid suum proprium dicebat, sed erant illis omnia communia*⁶⁹. Nulla enim inter eos accusatio, nisi familiaris erat, nec unquam inter imitatores eorum aut fideles fieri debet, dicente Domino: *Quod tibi non vis fieri, alteri non facias*⁶⁹. Et idem: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*⁶¹; et: *Dilectio proximi malum non operatur*⁶². Ipsi ergo apostoli et successores eorum olim statuerunt, eos ad accusationem non recipi, qui sunt suspecti⁶³, vel qui heri, aut nudius tertius, vel dudum fuerunt inimici, quoniam suspecti facti sunt, et qui non sunt bonæ conversationis⁶⁴, vel quorum vita est accusabilis, aut dubii in recta fide. Similiter quorum fides⁶⁵, vita et libertas nescitur, vel qui infamæ maculis sunt aspersi, aut sceleribus irretiti⁶⁶. Neque eos, sacerdotes debere vel posse aut clericos accusare, qui rite sacerdotes fieri non possunt, nec sui sunt ordinis; quoniam sicut sacerdotes vel reliqui clerici a sæcularium laicorum excluduntur accusatione, ita illi ab istorum sunt excludendi et alienandi criminatione. Et sicut isti ab illis⁶⁷, ita et illi ab istis non recipiantur; quoniam sicut Domini sacerdotum segregata debet esse conversatio ab eorum conversatione, ita et litigatio; *quia servum Dei non oportet litigare*⁶⁸. Tales, charissimi fratres, accusationes, et injustas aut nocivas æmulationes, pro viribus prohibete, quia contentio⁶⁹ summopere est vitanda. *Septies enim cadet justus in die, et resurget, impij autem corrueunt in malum. Cum ceciderit inimicus tuus, ait Salomon, ne gaudeas, et in ruina ejus non exsultet cor tuum; ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. Non contendas cum pessimis, nec æmuleris impios, quoniam non habent futurorum spem mali, et lucerna impiorum extinguetur. Nec æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis, quia rapinam meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur*⁷⁰. Hæc cavete, charissimi. Hæc meditamini, et fratribus in omnibus solatium præstate: quia in hoc cognoscent omnes, ut ipsa per se Veritas ait, *quoniam mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*⁷¹. Si e. im. in rebus⁷² sæcularibus suum cujusque jus et proprius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio? Quod ista observatione observabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Unde constat episco-

A pos locorum singulorum, omnium qui sub eorundegunt⁷³ moderamine, curam habere sollicitam, et causas utilitatesque eorum cum Dei timore disponere. Valde ergo iniquum est, ut alii quilibet, omnis suis, se illorum causis admisceant. Sed illi eorum vitam et judicium competenti regularique debeant moderamine disponere, qui eos in sacerdotium ordinant, et a quibus jam ordinati sunt; quoniam, ut lex loquitur, *maledictus omnis est qui transfert terminos proximi sui. Et dixit omnis populus: Amen*⁷⁴. Deus ergo, fratres⁷⁵, ad hoc præordinavit vos, et omnes qui summo sacerdotio funguntur, ut injustitias removeatis, et præsumptiones abscindatis, et in sacerdotio laborantibus succurratis, et⁷⁶ opprobriis et calamitatibus eorum locum non præbeatis; sed ei, qui calumniam et opprobrium patitur, adjutorium feratis, illum vero, qui calumniam vel opprobrium facit, abscindatis, et Domino in suis sacerdotibus opem feratis. Sacerdotes quoque Dominus sibi elegit, ut sacrificent ei, et offerant oblationes Domino. Levitas quoque sub eis esse jussit in ministeriis eorum. Unde ad Moysen loquitur, dicens: *Princeps autem principum Levitarum Eleazar, filius Aaron sacerdotis, erit super excubitores ecclesiæ sanctuarii*⁷⁷. De his enim locutus est Dominus ad Moysen: *Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, et pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego Dominus*⁷⁸. Si Levitas suos esse Dominus voluit, quanto magis sacerdotes sibi ascivit? De quibus ait: *Si quis externorum accesserit, morietur*⁷⁹. Omnia vero quæ Domini sunt, caute tractanda sunt, et non leviter præcipitanda; quoniam et inter homines pro fidelibus habentur, qui dominorum suorum causas bene custodiunt, et fideliter tractant, atque præcepta dominorum suorum bene custodiunt, et non transgrediuntur. Pro infidelibus vero reputantur hi, qui dominorum suorum causas incaute et negligenter tractant, et præcepta eorum despiciunt, et non, ut debent, custodiunt. Ideo hæc præmisimus, ut cognoscatur ab his, quibus incogitum est, quod et sacerdotes quos sibi Dominus de omnibus ascivit, et suos esse voluit, non sunt leviter tractandi, nec lacerandi, nec temere accusandi aut reprehendendi, nisi a magistris suis, quoniam eorum causas sibi Dominus reservare voluit, et suo judicio vindicari. Nam in his et in aliis præceptis Domini, et fideles cognoscuntur, et infideles reprobantur. Tolerandi enim hi sunt potius a fidelibus, quam exprobrandi, veluti palea cum tritico, usque⁸⁰ ad ultimum ventilabrum, sicut pisces mali cum bonis, usque ad segregationem, quæ futura est in litore, hoc est, in fine sæculi. Nullatenus ergo potest⁸¹

⁶⁹ Act. iv, 32. ⁶⁹ Matth. vii, 12; Luc vi. ⁶¹ Tob. iv, 16; Matth. xxii, 39; Marc. xii, 51; Luc. x, 27. ⁶² Rom. xiii, 10. ⁶³ Ambr. ep. 64. ⁶⁴ Adrian. coll. 15. ⁶⁵ 3. q. 5: Suspectos autem inimic. ⁶⁶ Adrian. coll. 19. ⁶⁷ 2. q. 7: Sicut sacerdotes. ⁶⁸ II Tim. ii. ⁶⁹ Adrian. coll. 5. ⁷⁰ Prov. xxiv, 17 seqq. ⁷¹ Joan. xiii, 35. ⁷² S. Greg. ep. 121 lib. vii. ⁷³ Idem ep. 66 ejusdem libri. ⁷⁴ Deuter. xxvii, 17. ⁷⁵ 3. q. 1: Deus ergo fratres. ⁷⁶ Proclus ep. ad Dominum Ant. ⁷⁷ Num. iii, 32. ⁷⁸ Ibid. 45. ⁷⁹ Num. i, 51. ⁸⁰ S. August. iv advers. Cresc., 26, et de utilitate poenitentiae, cap. 12. ⁸¹ Const. M. coll. Adr. c. 51.

condemnari humano examine, quem Deus suo iudicio reservavit, ut propositum Dei, quo decrevit salvare quod perierat, fiat immobile. Et ideo, quia voluntas ejus non immutatur, nullus præsumat ea quæ sibi non sunt concessa. Unde est illud quod Apostolus loquitur dicens: *Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum.*⁸² *Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini*⁸³? Ad illud redeatur quod Dominus ait: *Si quis voluerit tunicam tuam tollere, et in iudicio tecum contendere, dimitte ei et pallium*⁸⁴. Et alio loco: *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*⁸⁵. Sunt autem quædam, quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis unquam dicentem fratri suo: Fatue, reum gehennæ putaret, nisi ipsa Veritas⁸⁶ diceret? Illi vero⁸⁶ qui illa peccata perpetrant, de quibus Apostolus ait: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*⁸⁷, valde cavendi sunt, et ad emendationem, si voluntarie noluerint, compellendi; quia infamiæ maculis sunt aspersi, et in barathrum delabuntur, nisi eis sacerdotali auctoritate subventum fuerit. Similiter et illi de quibus ipse ait: *Cum hujusmodi hominibus nec cibum sumere*⁸⁸; qui infamia sunt notati antequam sacerdotali auctoritate sanentur, et in gremio sanctæ matris Ecclesiæ redintegrentur; quia qui extra nos sunt, nobiscum communicare non possunt. Manifestum est enim, quod hi extra nos sunt, et a vobis discreti esse debent, cum quibus nos nec edere, nec cibum sumere licet. Similiter et omnes personæ, quibuslibet turpitudinibus ac scurrilitatibus subjectæ, infames sunt effectæ; et omnes⁸⁹, qui adversus patres armantur, infames efficiuntur. *Arenam vero et salem et massam ferri facilius est portare, quam hominem imprudentem et fatuum atque impium*⁹⁰. *Quoniam qui minoratur corde, cogitat inania; et vir imprudens et errans, cogitat stulta*⁹¹. *Multos enim supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum male habebit in novissimo; et qui amat periculum, in ipso peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit requiem, et pravi cordis in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus, et peccator adjiciet ad peccandum*⁹². Talia cogitantes sancti apostoli, eorumque successores⁹³, Spiritu Dei repleti malos homines prævidentes, et simplices considerantes, difficilem, aut nunquam voluerunt esse accusationem sacerdotum, ne a malis potuissent everti aut submoveri: quia si hoc facile concederetur sæcularibus et malis hominibus, aut nullus, aut vix perpauci remanerent; quoniam semper fuit, et est, et, quod pejus est, nimis viget, ut mali bonos persequantur, et

A carnales spirituales infestent. Idcirco, ut prædictum est, statuerunt, ne accusarentur, aut si aliter fieri non possit, perditicilis eorum fieret accusatio, et a quibus, ut supra dictum est, non præsumeretur, neque a propriis sedibus aut Ecclesiis episcopi ejiicerentur⁹⁴. Quod si quomodo præsumptum fuerit antequam et proprius locus, et sua omnia eis legibus⁹⁵ redintegrentur, nullatenus a quoquam accusarentur aut criminarentur, et nisi sponte elegerint, cuiquam pro talibus non⁹⁷ responderent; sed postquam, ut præfixum est, restituti fuerint, et sua omnia eis legibus redintegrata, dispositis ordinatisque suis, magnum spatium, tractandi causa, eis concederetur; et postea, si necesse fuerit, regulariter vocati, venirent ad causam; et si justum visum fuerit, accusantium propositionibus sustentatione fratrum responderent. Nulla enim permittit ratio⁹⁶, dum ad tempus eorum bona vel Ecclesiæ atque res ab æmulis aut a quibuscunque detinentur, ut aliquid illis objici debeat. Nec quisquam potest eis quoquo modo quidlibet majorum vel minorum objicere, dum ecclesiis, rebus, aut potestatibus carent suis. Similiter statutum est⁹⁹, et nos eadem statuta firmantes, statuimus, ut si aliquis clericorum suis episcopis infestus aut insidiator fuerit, eosque criminari voluerit, aut conspirator fuerit, ut mox ante examinatum iudicium submotus a clero, curiæ¹ tradatur, cui diebus vitæ suæ deserviat, et infamis absque ulla restitutionis spe permaneat. Nec ullus unquam præsumat, accusator simul esse et iudex vel testis: quoniam in omni iudicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, iudices electos, et accusatores, ac defensores, atque testes. Similiter statuentes, apostolica auctoritate jubemus, ne pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerant², nisi in fide erraverit, reprehendere audeat: quia facta præpositorum, oris gladio³ ferienda non sunt, neque potest esse discipulus super magistrum, dicente Veritatis voce: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum*⁴. *Odibilis autem coram Deo et hominibus est superbia, et execrabilis omnis iniquitas. Perdidit Deus memoriam superbiorum, et reliquit memoriam humilium sensu. Semen hominum honorabitur, hoc quod timet Deum. Semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. In medio fratrum, rector illorum in honore; et qui timet Dominum, erunt in oculis ejus. Fili, ait Salomon, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem, cui honor competii⁵. Priusquam interrogas, ne vituperes quemquam; et cum interrogaveris, corripe iuste. Priusquam audias, ne respondeas verbum; et in medio seniorum ne adjicias loqui⁶.*

⁸² S. August. Enchir. c. 78 et 79. ⁸³ I Cor. vi, 7. ⁸⁴ Matth. v, 40. ⁸⁵ Luc. vi, 30. ⁸⁶ Matth. v, 22. ⁸⁷ Galat. v, 4. ⁸⁸ I Cor. v, 11. ⁸⁹ Proclus ad Dominum. ⁹⁰ Eccli. xxii, 18. ⁹¹ Eccli. xvi, 23. ⁹² pravum cor in. ⁹³ Eccli. iii, 26 seqq. ⁹⁴ Idem infra in decr. Steph. c. 3. q. 1: Episcopi si a propriis. ⁹⁵ Conc. Rom. v sub Symmacho. ⁹⁶ Adrian. coll. 5. ⁹⁷ 3. q. 1: Episcopi si a propriis. ⁹⁸ 11. q. 1: Statuimus, ut si quis clericorum. ⁹⁹ Curia hæc valde suspecta est Ant. August. in cap. 58 Coll. Adr. ¹ Conc. Rom. v sub Symmacho. ² S. Greg. Past. p. II, c. 5. ³ Matth. x, 24; Luc. vi, 40. ⁴ Eccli. x, 7, 23, 24, 31. ⁵ Eccli. xi, 7, 8.

Exemplo Cham filii Noe⁷, damnantur qui patrum suorum culpas in publicum produnt⁸, aut eos accusare vel detrahere præsumunt: veluti Cham, qui patris sui Noe pudenda non operuit, sed deridenda monstravit. Similiter et illi exemplo Sem et Japhet justificantur⁹, qui reverenter operiunt, et non produnt ea quæ patres suos excessisse cognoscunt. Si enim a fide deviaverit episcopus, erit corrigendus prius secreta a subditis suis. Quod si incorrigibilis, quod absit! apparuerit, tunc erit accusandus ad primates suos, aut ad sedem apostolicam. Pro aliis vero actibus suis magis est tolerandus ab ovibus et subditis suis, quam accusandus, aut publice derogandus; quia cum in eis a subditis delinquitur¹⁰, ejus ordinationi obviatur, qui eos ei prætulit, dicente Apostolo: *Dei ordinationi resistit, qui potestati resistit*¹¹. Qui vero omnipotentem Deum metuit¹², nec contra Evangelium, nec contra apostolos, nec contra prophetas vel sanctorum Patrum instituta, aliquid ullo modo agere consentit. Sacerdotes ergo honorandi sunt, non lacerandi vel exprobandi sunt. Legitur in Ecclesiastico: *In tota anima tua time Deum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, et ministros ejus non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, et honorifica sacerdotem, et propærga te cum brachiis. Da illi partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, et de negligentia purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, et sacrificium sanctificationis offeres Domino, et initia sanctorum; et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua*¹³. Hæc non tantummodo vobis, sed omnibus fratribus per vos nota fieri volumus, ut unanimes, unum sentientes, permaneamus in Christo nihil per contentionem nobis¹⁴, neque per inanem gloriam vindicantes, non hominibus, sed Deo Salvatori nostro placentes. Cui est honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.

EPISTOLA III.

AD HILARIUM EPISCOPUM.

Ut peregrina judicia respuantur atque accusatus in suo loco causam suam peragat, et ut omnis qui crimen objicit, scribat se probaturum, et si non probaverit quod objicit, penam quam intulerit, patiatur.

I. Qui non debeant admitti ad accusationem.

II. De peregrinis judiciis.

III. De pulsatis.

IV. Si quis iratus crimen objecerit, vel objecta non probaverit.

V. Si episcopus accusatus sedem apostolicam appellavit.

Dilectissimo fratri HILARIO episcopo FABIANUS.

Divinæ circa nos gratiæ memores¹⁵ esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam,

ob hoc ad fastigium sacerdotale provexit, ut mandatis ipsius inhærentes, et in quadam sacerdotum ejus specula constituti, prohibeamus illicita et sequenda doceamus. In tantum enim in occiduis partibus, quibus moraris, audivimus astutiam diaboli sævire in populum¹⁶ Christianum, atque multiplici deceptione prorumpere, ut non solum laicos sæculares, sed ipsos quoque Domini sacerdotes premat atque vexet. Unde, in grandi mœrore positi, dissimulare non possumus quod corrigere atrociter debemus. Quapropter competens adhibenda est talibus medela vulneribus, ne immatura curandi facilitas, mortifera capitis peste nihil possit¹⁷, sed segnius tracta perniciēs, reatu non legitimæ curationis, involvat pariter sauciatos et medentes.

B

I. Ob id ergo statuentes decernimus ut hi¹⁸, qui non sunt bonæ conversationis, aut quorum vita est accusabilis, aut quorum fides, vita et libertas nescitur, non possint Domini sacerdotes accusare, ne viles personæ ad accusationem eorum admittantur. Similiter hi, qui in aliquibus criminibus irretiti sunt, vel qui sunt suspiciosi, vocem adversum majores natu non habeant accusandi; quia suspiciosa vox et inimica veritatem solet opprimere.

C

II. Peregrina vero¹⁹ judicia, salva in omnibus apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus, quia indignum est ab externis, ut judicetur, qui provinciales et a se electos debet habere judices, nisi fuerit appellatum. Unde oportet²⁰, si aliquis episcoporum super certis accusetur criminibus, et ab omnibus audiatur qui sunt in provincia episcopis, quia non oportet accusatum alieni, quam in foro suo, audiri. Si quis vero judicem adversum sibi senserit²¹, vocem appellationis exhibeat²². Appellanti autem non debet afflictio ulla aut detentionis injuriare custodia; sed liceat appellatori vitiatam causam appellationis remedio sublevare. Licet etiam in causis criminalibus appellare. Nec vox appellandi denegetur ei, quem supplicio sententia destinarit.

D

III. Pulsatus ante suum judicem causam dicat²³; et ante non suum judicem, pulsatus, si voluerit, taceat; et ut pulsatis, quoties appellaverint, induciæ dentur²⁴.

IV. Si quis ergo iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit²⁵, convicium non est pro accusatione habendum; sed, permissio tractandi spatium, id quod iratus dixit²⁶, per scripturam se probaturum esse fateatur; ut, si fortasse resipiscens, quæ præ-

⁷ Genes. ix. ⁸ Ibid. iii, sent. 59. ⁹ Sup. habetur idem in epist. Analeti ultima. ¹⁰ S. Gregor., Past. iii, c. 5. ¹¹ Rom. xiii, 2. ¹² 11. q. 3: Qui omnipotentem. ¹³ Eccli. vii, 51-56. ¹⁴ Innoc. I, ep. 2, c. 13. ¹⁵ Hilarius papa S. Leonis successor, ep. 5. ¹⁶ Felix III, ep. 7. ¹⁷ captis peste non prosit. Hæc ad finem usque epistole habentur etiam in decr. Sixti III. ¹⁸ Adr. coll., c. 15. ¹⁹ idem Adr. cap. 47, ex Cod. Theod., lib. ix, tit. 4, const. 10. ²⁰ 3. quest. 6: Si quis episcoporum. ²¹ 4, quest. 6, Si quis jud. ²² Vide Adr. coll. c. 27, 32, 33, 34, ex interpr. Aniani in const. 2, 15 et 20, tit. 30, libri xi Cod. Theod., necnon notata Ant. Aug. ²³ 3. q. 1: Pulsatus ante. ²⁴ Adr. coll. c. 56. ²⁵ 1. q. 6, Qui crimen. ²⁶ Adr. coll. 47, ex Aniano in const. 5, tit. primi lib. ix Cod. Theod.

iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur. Omnis ergo, qui crimen objicit ²⁷, scribat se probaturum. Revera semper ibi causa agatur, ubi crimen admittitur. Et qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulerit ipse patiatur.

V. Placuit etiam, ut si episcopus accusatus appellaverit ad apostolicam sedem ²⁸, id statuendum quod ejusdem sedis pontifex censuerit. Hæc tamen omnino in sacerdotum causa forma servetur, ne quemquam sententia, non a suo iudice dicta, constringat ²⁹. Occurrere quôque quisque fidelium ruinis debet oppressorum et miserorum subsidio ³⁰, quo valeant, ex revelatione alienæ vindictæ, a se Dei removere vindictam ³¹. Libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Unde scriptum est: *Frater fratrem adjuvans exaltabitur* ³². Ecclesia enim Dei sine macula et ruga debet existere, et ideo non oportet eam a quibusdam conculcari aut maculari, quia scriptum est: *Una est columba mea, perfecta mea* ³³. Hinc iterum Dominus ad Moysen ait: *Est locus penes me, et stabis super petram* ³⁴. Quis est locus ³⁵, qui non sit Domini, dum cuncta in ipso, per quem creata sunt, continentur? Est tamen locus apud Deum, videlicet sanctæ Ecclesiæ unitas, in qua supra petram statur, dum confessionis soliditas humiliter tenetur. Te, frater, et omnes fratres nostros Ecclesiam Christi sanguine redemptam regentes, monemus, ut omnes a præcipitio, in quo fratres et Domini pastoribus detrahendo et persequendo, verbis et factis labuntur, laqueis quibus potestis, retentetis, et lacerari eos ³⁶ in hamo ³⁷ iræ non permittatis, quia scriptum est: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur* ³⁸. Hinc ³⁹ rursum dicitur: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram*. Hæc autem vos, Deo auctore, omnia servare non ambigo, sed occasione admonitionis exorta, bonis vestris desideriis et operibus me furtive subjungo, ut quod non admoniti facitis, quando vobis etiam admonens additur, jam non soli faciatis. Quapropter, fratres, oportet vos et omnes fideles diligere invicem, et non detrahere aut accusare alterutrum; scriptum est enim: *Dilige proximum, et conjungere fide* ⁴⁰ cum illo. Quod si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui: et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic qui dereliquisti proximum tuum, et non eum cupies. Non illum sequaris quoniam longe abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo, quoniam vulnerata est anima ejus. Ultra eum non poteris colligare, et maledicti est concordatio. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Annuens oculo fabricat

A iniqua, et nemo non abjiciet. In conspectu oculorum tuorum conculcabit ⁴¹ os suum, et super sermones tuos admirabitur: Novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Multa audivi ⁴², et non contigavi ei, et Dominus odiet illum. Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet; et plaga dolosa, dolosi dividet vulnera. Qui fodit foveam, incidet in illam; et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii ponit, peribit in illo. Facienti consilium nequissimum, super ipsum devolvetur; et non agnoscat unde adveniet illi. Illusio et improprium superborum, et vindicta, sicut leo insidiabitur illis. Laqueo peribunt, qui oblectantur casu justorum; dolor autem consumet illos antequam moriantur. Ira et furor, utraque execrabilia sunt; et vir peccator, continens erit illorum ^{43, 44}. Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam; et peccata illius servans, servabit. Relinque proximo tuo nocentem te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur Altissimum? Ipse, dum caro sit, reservat iram et propitiationem petit a Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum, et desine inimicari. Tabitudo enim, et mors imminent in mandatis ejus. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamenti Altissimi, et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem, et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Secundum enim ligna silvæ, sic ignis exardescet; et secundum virtutem hominis, iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exultabit iram suam. Certamen festinatum incendet ignem, et lis festinans effundet sanguinem, et lingua testificans adducet mortem. Si sufflaveris in sciutillam, quasi ignis exardabit; et si exspueris super illam, exstinguetur, et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis, maledictus; multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, et privavit illas laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem lingue comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quomodo qui interierunt per linguam suam. Beatus, qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum ejus, et vinculis ejus non est ligatus. Jugum enim illius, jugum ferreum est: et vinculum illius, vinculum ærcum est. Mors illius, mors nequissima; et utilis potius inser-

²⁷ idem c. 48, ex Aniani interpr. in const. 11, ejusdem tituli. ²⁸ Adr. coll. c. 21. In decret. Ivon., lib. iv. ²⁹ Cod. Theod. lib. iv, tit. 16, const. 2. ³⁰ consilio. ³¹ conc. Tol. viii, c. 2. ³² Prov. xviii, 19. ³³ Capt. vi, 8. ³⁴ Exod. xxxiii, 21. ³⁵ S. Greg. ep. 54 libri vii. ³⁶ labi eos. ³⁷ In ino. ³⁸ Jacob. i, 20. ³⁹ Greg. ep. 128 lib. vii. ⁴⁰ conjunge fidem. ⁴¹ conculcabit. ⁴² odivi. ^{43, 44} Eccli. xxvii, 18-35

nus, quam illa. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum. In flamma sua non comburet justos. Qui derelinquunt Dominum, incident in illam; et exardescet in illis, et non exstinguetur; et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus lædet illos. Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito ostia, et seras auribus tuis. Aurum tuum et argentum tuum conflu, et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos. Et attende, ne forte labaris in lingua tua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem⁴⁵. Ista caveant omnes, et colibeant linguam suam a malo, et labia eorum ne loquantur dolum⁴⁶. De cætero, charissimi, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos, armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes

⁴⁵ Eccli. xxviii, 1-30. ⁴⁶ Psal. xxxiii, 14. ⁴⁷ Ephes. vi, 10-17. ⁴⁸ S. Greg. ep., 54, lib. vii. ⁴⁹ mendosa adnotatio.

et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei in quo possitis omnia telu nequissimi ignea exstinguere. Et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei⁴⁷. Hæc, frater, quæ tibi scripsimus, generaliter omnibus nota fieri volumus, ut quæ ceteros tangunt, omnibus nota fiant. Omnipotens Deus te, frater, et reliquos fratres nostros, ubique consistentes, protegat usque in finem⁴⁸, qui cunctum mundum dignatus est redimere, Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen. Data decimo septimo Kalend. Novembr. Africano et Decio⁴⁹ viris clarissimis consulibus.

Decreta S. Fabiani ex Decreto Gratiani desumpta, nec prioribus inserta.

I. Inediis maceretur acerrimis qui fratri suo reconciliari non vult.

(Dist. 90, Si quis contristatus; Basil. in Reg., c. 74.)

Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfaciendo ei qui contristavit, acerrimis maceretur inediis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat.

II. Infamis efficitur qui sciens pejerare præsumit.

(6, q. 1, Quicumque sciens; Regino ex lib. Pœnitentiali.)

Quicumque sciens se pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos pœniteat; et nunquam sit sine pœnitentia; et nunquam in testimonium recipiatur; communionem tamen post hoc percipiat.

III. Furiosus et furiosa matrimonium contrahere non possunt.

(32, q. 7, Neque furiosus. Et in Decret. Ivo. lib. vi. Affert Regino ex lege Rom.)

Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt. Sed si contractum fuerit, non separentur.

IV. Affines in quinta generatione copulari possunt, et in quarta, si fuerint inventi, non separentur.

(35, q. 2 et 3, De propinquis. Est ex Pœnitentiali Theodori.)

De propinquis, qui ad affinitatem per virum et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione jungantur; in quarta, si inventi fuerint, non separentur. In tertia tamen propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum ejus. Æqualiter vir jungatur in matrimonio eis, quæ sibi consanguineæ sunt, et uxoris

sux consanguineis, post mortem suæ uxoris.

Ad titulum immediate præscriptum.

(Eodem cap., ex eodem Pœnitentiali.)

Qui propinquam sanguinis uxorem ducunt et separantur, non licebit eis, quandiu utrique vivunt, alias uxores sibi in conjugio sociare, nisi ignorantia excusentur.

V. Consanguinei tantum, vel, si progenies defecit, antiqui et veraces, propinquitatem in synodo computent.

(35, q. 6, Consanguineos extraneorum. Et in Decret. Ivo. lib. vii.)

Consanguineos extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in synodo computet, sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet, id est, pater et mater, soror et frater, patruus, avunculus, amita, matertera, et eorum procreatio. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et veracioribus quibus eadem propinquitas nota est, episcopus canonice perquirat: et si inventa fuerit propinquitas, separentur.

VI. Ter in anno quisque fidelium communicet.

(De consecr. dist. 2, Etsi non. Et in Decr. Ivo. lib. i.)

Etsi non frequentius, saltem in anno ter laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur, in Pascha videlicet, et Pentecoste, et Natali Domini.

VII. Ante annos 30 presbyter non ordinetur.

(Dist. 78, Si quis, 30; et in Decr. Ivo. lib. iii; ex Martino Bracar., cap. 20.)

Si quis triginta ætatis suæ non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus; quia et ipse Dominus triginta

annorum baptizatus est, et sic cœpit docere. Non oportet ergo, qui ordinandus est, usque ad hanc ætatem legitimam consecrari.

Ejusdem decreta ex Codice Decretorum sexdecim librorum, libro quinto, capite septimo et nono.

I. *Ut oblatio altaris singulis diebus Dominicis fiat.* A *Ut presbyter illitteratus missam celebrare non audeat.*

Decernimus, ut in omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus fiat, tam panis quam vini, ut per has immolationes a peccatorum suorum fascibus liberentur.

Sacrificium non est accipiendum de manu sacerdotis, qui orationes vel actiones et reliquas observationes in missa secundum ritum implere non potest.

ANNO DOMINI CCLI.

S. ALEXANDER

HIEROSOLYMITANUS EPISCOPUS ET MARTYR.

NOTITIA

(GALLAND., *Veterum Patrum Biblioth.*, II, Proleg., p. xxvii.)

I. *Alexander primum in Cappadocia episcopus, quamnam Ecclesiam rexerit. Ad sedem Hierosolymitanam translatus divinitus.*

II. *Post iteratam fidei confessionem illustrem, vir decora senectute conspicuus in carcerem martyr occubuit anno Domini 252 cum Ecclesiam Hierosolymitanam administrasset annis circiter 40.*

III. *In Ælia urbe bibliothecam insignem instruxit Alexander. Varias quoque scripsit epistolas: ad Antinoitas, ad Antiochenses, ad Origenem, et pro Origene contra Demetrium. Harum fragmenta ex Eusebio deprompta.*

Alexandrum prius in Cappadocia episcopum fuisse ordinatum scribit Eusebius (1) qui tamen urbis in qua ille sederit nomen reticet. Neque aliter Hieronymus (2). Flaviadis episcopum fuisse Alexandrum statuunt Valesius et Tillemontius (3), ex jure Græco-Romano (4): cujus tamen textus verba ita corrupta existimavit Wesselingius (5), ut ipsi ambigendum non videatur, quin hac in parte non sit peccatum. Utcunque sit, « Antonini Caracallæ anno 2, Christi 213, » ut habet Eusebius in *Chronico* (6), « Alexander tricesimus quintus Hierosolymorum episcopus ordinatur adhuc vivente Narcisso, et cum eo pariter Ecclesiam regit. » Rem fusius alibi enarrat idem episcopus Cæsariensis. « Interea, inquit (7), cum Severus decem et octo annis imperium tenuisset, Antoninus (Caracalla) filius (ejus) in ejus locum successit. Qua tempestate Alexander, unus ex eorum numero qui in persecutione (Severi) fortiter certaverant, et qui post gloriosa confessionis certamina divina Providentia fuerant reservati, quem nos Hierosolymorum episcopum fuisse paulo ante retulimus, ob

B insignem Christianæ fidei confessionem ad supra dictum episcopatum promotus est, Narcisso qui prius ibi fuerat episcopus, adhuc superstite. » Et paulo post (8): « Verum cum propter extremam senectutem ministerium suum obire (Narcissus) amplius non posset, supra dictum Alexandrum alterius Ecclesiæ episcopum divina dispensatio per revelationem quamdam quæ illi in somnis apparuerat, ad participandum cum Narcisso sacerdotis officium evocavit. Hac igitur visione tanquam divino admonitus oraculo Alexander, cum ex Cappadocia in qua primum episcopus fuerat ordinatus, Hierosolyma profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia, fratres illius Ecclesiæ humanissime eum excipientes, reverti posthæc in patriam non siverunt, » etc.

II. Nonnullis demum interjectis hæc subdit (9): « In Palæstina autem Alexander Hierosolymorum episcopus, rursus propter Christum ad præsidis tribunal adductus, cum ex secunda hac confessione (sub Decio), magnam gloriam retulisset, Cæsareæ in carcerem conjectus est: vir decora senectute

(1) Euseb., *Hist. eccl.* lib. vi, cap. 11

(2) Hieron., *De vir. illustr.* cap. 62.

(3) Tillem., *Mém.* tom. III, pag. 415.

(4) *J. Gr. Rom.*, tom. I, pag. 295.

(5) Wessel., *Probabil.* lib., cap. 13, pagg. 106

seqq.

(6) Euseb., *Chron.* ad ann. MCCCXXVIII.

(7) Id., *Hist. eccl.* lib. vi, cap. 8.

(8) Euseb., *Hist. eccl.* lib. vi, cap. 11.

(9) Id., *ibid.* cap. 39.